



Enith ortus uel amplitudo ortus, est elongatio Solis ab oriente uero, & est arcus horizontis, circulo æquinoctiali ac puncto oriente interclusus. Verū autem oriens ostendit Sol ipse in principio Arietis, uel Libræ exoriens. Similiter amplitudo uel Zenith occasus, est portio uel arcus horizontis, qui inter æquatorem ac punctū occidentē clauditur. Et isti gradus in horizonte sunt gradus azimuth in Astrolabijs. Si ergo nunc planeta uel stella oritur à parte meridiei, Zenith ortus sui dicitur meridionale orientale, & Zenith occasus meridionale occidentale. Si autē à parte septentrionis, dicitur Zenith ortus septentrionale orientale, & Zenith occasus septentrionale occidentale. His præmissis: Si idem scire desideras, pone gradum Solis in directo horizontis ex parte orientis, ibidem notam faciendo supra horizontem, deinde numera gradus à tali nota, usq; ad punctum ueri orientis, scilicet Arietis aut Libræ, quoniam ipsi sunt gradus Zenith ortus Solis tuæ regionis, ad quam globum composuisti. Zenith uero occasus est simile Zenith ortus: Simili uia procede in planetis & stellis fixis. Exempli gratia: Sit Sol in 10 gra. Aquarij, uolo Zenith ortus uel amplitudinem ortus ipsius scire, pono 10 gra. Aquarij supra horizontem ex parte orientis, & intra ipsum & punctum ueri orientis in horizonte inuenio 28 ferè gradus meridionales orientales sic similiter Zenith occasus meridionale occidentale dico abesse à uero occidente 28 gradibus in regione latitudinis $49\frac{1}{2}$.

Ex supposita amplitudine ortus, punctum eclipticæ, cui ipsa debetur, agnoscere.

CAPVT XI.



Hoc problema est conuersum præcedentis, quod tali uia absolues. Quære amplitudinem ortus & partem eius, uel septentrionalem, uel meridionalem in numeris graduum interiorum horizontis, deinde uolue globum, donec graduum aliquis de gradibus eclipticæ ueniat ad gradum amplitudinis propositæ, quia ille idem gradus Eclipticæ amplitudinis tuæ gradum in horizonte tangens, erit gradus eclipticæ amplitudini tuæ feruens. Hoc tamen notandum uenit, quod quilibet duo gradus Zodiaci æqualiter distantes ab aliquo punctorum solstitialium æquales habeant amplitudines ortiuas.

Per amplitudinem ortiuam, gradum eleuationis poli reperire.

CAPVT XII.



Være amplitudinē ortus tui diei in horizonte orientali, & hoc in parte sua, uel septentrionali, uel meridionali. Deinde scias etiam gradum eclipticæ in quo Sol eo die uersatur, quem applica amplitudini ortiuæ in horizonte, si idem gradus eclipticæ eandem ortiuam amplitudinem attingere potest, si non, eleua uel deprime globum mediante armilla meridiana, quoad idem gradus Solis eclipticæ ad eandem amplitudinem ortiuam tuam pertinet, tunc enim sinas globum inuariatum, & apparebunt gradus eleuationis poli tuæ regionis, cuius amplitudinem ortiuam obseruasti, à polo Arctico descendendo ad contactum horizontis.